



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cursus Theologiæ Polemicæ Universæ**

**Pichler, Vitus**

**Augustæ Vindelicorum, Anno MDCCXIII.**

§. 6. De Sacrificio Missæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39374**

dentis, vel pars materiae seu symboli externi, plenius significantis mundationem internam. Ad 2. Et si transmittetur totum, quod nempe utraque species propter pleniorum symbolizationem conferat plus gratiae, non tamen recte inferretur inde obligatio sumendi utramque speciem, cum iste excessus gratiae ad salutem necessarius non sit, neque sub praeccepto. Adde, quod valde incertum sit, plus conferri gratiae per utramque speciem, partim quia utrumque symbolum non significat res diversas, sed unam, scilicet refectionem spiritualem, partim quia hoc, quod significet eam cumulatius & plenius, nihil facit; moneta enim, in qua perfectius expressa proponitur imago

Caesaris, non propterea plus valet quam alia, in qua symbolum est minus perfectum. Ad 3. patet satis ex modo dictis. In Evcharistia cibus simul realiter est potus, nempe Christus vivus, qui non est sine Sanguine: item fames & sitis spiritualis realiter non distinguuntur.

Ob. 4. Plures ex SS. PP. aperte adstruunt necessitatem communionis sub utraque: ergo. R. SS. PP. vel loquuntur de Sacerdotibus actu sacrificantibus, vel de re sumenda, non de modo sumendi, vel de illis temporibus, quibus utraque species erat in usu aut etiam sub praeccepto. Atque sic non sunt contra nos.

## §. VI.

*De Sacrificio Missae.*

32. Sciendum 1. Sacrificium proprie dictum in genere defini communitate in hunc sensum: Est oblatio externa facta soli Deo, per quam a legitimo Ministro res aliqua sensibilis per immutationem ritu mystico consecratur in recognitionem supremi Domini, quod Deus habet in vitam & necem. Dicitur 1. oblatio, per quam vocem Sacrificium differt ab alijs actibus ad virtutem Religionis spectantibus. 2. Soli Deo facta, est enim praecipuus DEI cultus, & serè solus DEO proprius; quare nulli creaturae sacrificari immediate & principaliter potest. 3. A legitimo Ministro, qui in Lege

Natura erat Paterfamilias, in Lege Moylis & Christi Sacerdotes rite ordinati. 4. Per immutationem, scilicet vel physicam, vel moralem & mysticam. 5. In cognitionem supremi domini &c. cujus publica testificatio est Sacrificium, scilicet Deum posse pro libitu circa vitam & mortem nostram perfecte disponere, id quod indicat hostiae immutatio. 6. Ritu mystico, hoc est, certis ceremonijs, quas in Antiqua Lege praescripsit Deus, nunc Ecclesia determinandas reliquit. 7. Consecratur; nam res sensibilis, quae offertur, debet ex profana fieri sacra; sacrificare siquidem secundum



etymologiam dicit *sacrum facere*. Unde vel maximè requiritur intentio cultûs Divini in Sacrificio. Atque hunc conceptum Doctores abstraxerunt ab illis rebus, quæ communiter habitæ sunt, & adhuc habentur pro veris & propriè dictis Sacrificijs.

Sciendum 2. Sacrificium in Veteri Lege fuisse variè divisum tam ratione materiæ quàm ratione formæ. Ratione materiæ aliud Sacrificium vocabatur *Hostia* vel *Vitima*, quando scilicet animalia, uti agnus, taurus &c. mactabantur Deo: aliud *Immolatio*, quando offerebantur res inanimata, sed solida, uti fruges, panis, thura &c. aliud *Libamen*, quando offerebantur res inanimata, sed liquida, uti vinum, oleum, sanguis &c. per effusio- nem in terram. Ratione formæ aliud Sacrificium appellabatur *Holocaustum*, quando nempe res oblata destruebatur tota per ignem, ut resoluta in fumum ascenderet ad Deum: aliud *Hostia pro peccato*, quod offerebatur pro peccatis, externis tantùm & legali- bus; res oblata autem partim crema- batur, partim cedebat in usus Sacer- dotum: aliud *Hostia pacifica*, quod offerebatur DEO in gratiarum actio- nem pro beneficijs tum acceptis tum accipiendis, ac una ejus pars combure- batur, altera cedebat in usum Sacer- dotum, tertia in usum eorum, qui talem rem donabant. Atqui hæc Sa- crificia fuerunt figuræ magni illius Sa- crificij, quod Christus Dominus Æ- terno Patri obtulit in cruce, atque al- terius, quod in Nova Lege continuò

& ubique repetitur, scilicet Sacrificij Missæ, quod in substantia (scilicet ra- tione Offerentis principalis & Hostiæ) est idem cum Sacrificio cruce; differt tamen in modo; nam istud cruento modò fuit oblatum, illud verò offer- tur in pane & vino, modò incruen- tò. Unde Sacrificium Novæ Legis dividi- tur in *Cruentum & Incruentum*. Utrumque (vel potius unicum Novæ Legis Sacrificium) eas dotes in se conti- net, quas singulas Sacrificia Antiquæ Le- gis, quæ nunc præsentè figurato cessã- runt omnia, habebant singula. Unde est 1. *Latreuticum*, seu supremum Deo honorem & Divinum deservit, proficien- do supremum ejus dominium. 2. *Eucha- risticum*, quia gratias rependit Æ- terno Patri pro beneficijs humano ge- neri collatis. 3. *Propitiatorium*, quia dimittit peccata, & hominem reconciliat DEO. 4. *Satisfacto- rium*, quia delet penas peccatorum; & ideo etiam prodest Defunctis. 5. *Impetratorium*, quia impetrat varia & summa beneficia à DEO. Sæctarij nô- stri has prærogativas omnes agnoscunt in Sacrificio Crucis Cruento, negant & pernegant tamen, eas reperiri in Sacrificio Missæ Incruento, quam ne- gant esse Sacrificium; imò dicunt, Missam esse abominandam Idololatri- am, & notam Antichristi. Igitur

Dicendum 2. Missa est verum & pro- priè dictum Sacrificium. Prob. 1. ex Scriptura, ritè explicata. Christus à Davide & Paulo appellatur Sacerdos se- cundùm ordinem Melchisedech: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordi- nem Melchisedech.* Plal. 109. Hebr. 5.

ergo



ergo Christus aliquando sacrificavit, sicut Melchisedech, scilicet in pane & vino: *Melchisedech enim protulit* (id est, obtulit juxta meliores interpretes) *panem & vinum, erat enim SACERDOS Altissimi*; quæ mentio *sacerdotij* cum particula causali enim clarè indicat, panem & vinum fuisse *oblatum*, non merè materialiter appositum. Atqui ostendi non potest aliud tempus, quo Christus sacrificasset in pane & vino, nisi in ultima Cœna, ubi panem, quem in suum Corpus convertit, prius *benedixit, fregit* (non frustra ponuntur hæc ab Evangelistis) & dixit: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur, & accepto calice, hic est Sanguis meus, qui pro multis effundetur: sed tò datur, tò effunditur* (nam Græcus textus utitur præsentis, id est, nunc in ultima Cœna, & postea in cruce) idem est ac immolatur, sacrificatur, quod inde etiam colligitur, quia textus dicit: *pro vobis: pro multis*; si enim Christus tantum distribuisset Discipulis Corpus suum & Sanguinem ad sumendum, debuisset præcisè dicere *vobis, multis*, omitta præpositione *pro*. Ergo Christus in ultima Cœna sacrificavit modo incruento, in pane & vino. Atqui hoc Sacrificiò, quod ipse ibi obtulit celebrando primam Missam nam essentia Missæ consistit in immolatione Christi per consecrationem panis & vini) non fuit contentus, sed in ipsum repeti voluit à suis Discipulis, atque horum Successoribus, dicens *Hoc facite in meam commemorationem* Luc. 22. idque usque ad finem mundi, aliis enim non esset

*Sacerdos in æternum*; nam post mortem suam utique non amplius sacrificat visibiliter per se, sed per sacerdotes, Vicarios suos; qui Christum nec possunt nec debent imitari in Sacrificio *incruento*, hoc enim Christus *semel fecit*. Hebr. 1. ergo debent imitari in *æternum* (hoc est, usque ad finem mundi) in Sacrificio *incruento*, quod Christus obtulit in ultima Cœna in pane & vino *secundum ordinem Melchisedech*, non secundum ordinem Aaronis, qui sacrificavit mactando animalia &c. Cæterum Melchisedechum, in pane & vino sacrificantem, fuisse typum Christi, in pane & vino sacrificaturi, docent Patres communiter, nominatim S. Hieron. in c. 26. Mat. S. Aug. de Civ. l. 16. c. 22. S. Cypr. l. 2. ep. 3. ad Cæciliam. Imò ipse S. Paulus Hebr. 7. v. 11. quod bene notetur.

Confirmatur 1. ex eadem ep. ad Hebr. 13. ubi Christiani dicuntur *habere altare, de quo edere non habent potestatem, qui Tabernaculo deserviunt*, scilicet sacerdotes Antiqui Testamenti: ergo Christiani etiam habent Sacrificiò propriè dictum; quia *Sacrificiò, Altare, Sacerdos* &c. sunt correlativa, nec unum datur sine altero. Atqui aliud Sacrificiò propriè dictum apud Christianos assignari nequit, nisi Sacrificiò Missæ: ergo.

Confirmatur 2. ex vaticinio Malachia c. 1. ubi DEUS dicit ad Judæos: *Non est mihi voluntas in vobis: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis, usque ad occalum, magnam est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, &*

GGGG

offer-



offertur nomini meo oblatio munda. &c. Per istam oblationem non potest intelligi aliquod Sacrificium Judæorum.

1. Quia repudiatur expresse Sacrificium Judæorum, eique opponitur novum.
2. Quia appellatur signatè munda, cujusmodi prædictum specialiter non merebantur Sacrificia Judæorum.
3. Quia dicitur offerri in omni loco, Judæi autem sacrificabant tantùm in Judæa, & quidem in unico templo Jerolymitano. Ergo intelligitur aliquod Sacrificium Novæ Legis, quod offeratur ubique per totum orbem, & sit mundissimum propter Hostiam & principalem Offerentem (Christum) nempe Sacrificium Missæ; cùm aliud assignari nequeat.

Prob. 2. ex perpetua Traditione & praxi Ecclesiæ, quam in re tanti momenti, ubi agitur de præcepto Dei cultu, errare impossibile est; ut scilicet tota, in omni loco, & omni tempore frustillum panis &c. adoret tanquam sponsum suum, ac offerat Deo tanquam Filium & Hostiam dilectissimam sceleratissimâ idololatriâ. Atqui est innegabile, quòd Ecclesia semper ab ipsis incunabulis, & temporibus Apostolorum Missam habuerit pro vero Sacrificio, & constanter hoc Sacrificium obrulerit. Ita enim testantur imprimis Liturgiæ (quod Græcis est Liturgia hoc Latinis est Missa) Apostolorum Petri, Jacobi, Matthæi, & Marci Evangelistæ, de quibus vid. Cocc. de Evch. art. 4. tom. 2. l. 6. Testantur Presbyteri Achaia, qui in vita S. Andrea referunt verba hujus morituri Apostoli: *Ego omnipotenti Deo omni die sacrifico,*

non taurorum carnes, sed immaculatam agnium in altari, cujus carnes, postquam omnis populus credentium manducaverit, & ejus sanguinem biberit, agnus, qui immolatus est, integer perseverat & vivus &c. S. Clemens Petri Discipulus Can. 3. Apostol. Siquis Episcopus aut Presbyter præter ordinationem Domini, quam de Sacrificio instituit, alia quedam, puta aut mel aut lac aut ficeram pro vino supra altare obtulerit, deponitor. Et ep. 3. de Officio Sacerd. Quoniam in alijs locis sacrificare & Missas (en nomen Missæ jam posuit Versor in Ecclesiæ exordio) celebrare non licet, nisi in his, in quibus Episcopus proprius jussit, aut ab Episcopo consecratus fuerit. Hæc Apostoli à Domino acceperunt, & nobis tradiderunt: hæc nos docemus, vobisque mandamus. Et l. 6. Const. Apost. c. 25. Pro Sacrificio cruento rationale, & incruentum, ac mysticum Sacrificium instituit, quod in mortem Domini per symbola Corporis & Sanguinis sui celebratur. S. Justinus M. in Dial. cum Tryph. apud Canif. Neque verò à quoquam hostias Deus accipit, nisi à suis Sacerdotibus. Itaque omnia Sacrificia, que suo nomine faciendâ IESUS Christus tradidit, id est, in Eucharistia panis & poculi, que in omni loco à Christianis fuit, præoccupatione usus Deus, sibi grata esse testatur Malach. 1. S. Cyprianus. l. 2. ep. 3. ad Cæciliam: Sacerdos vice Christi verè fungitur, quod id, quod Christus fecit, imitatur: & sacrificium verum & plenum tunc offert in Eccl-



*Ecclesia Deo Patri &c.* Similia passim occurrunt in antiquissimis Patribus serè omnibus, Dionys. Areop. Ignat. M. Alexandro P. Telesphoro P. Chrysof. Ambr. August. & alijs, in quibus aperte describitur doctrina & praxis moderna Catholicorum circa Missæ Sacrificium. Longè plura reperiuntur in recentioribus scriptoribus, quod negare nequeunt Adversarij. Quos proin interrogo, an hos viros sanctissimos (quales esse censentur recitati PP. & alij plures, serè omnium sæculorum, etiam ab ipsis) damnare prudenter & sine enormi flagitio possint idololatria, impietatis, & sacrilegij, quòd Missas celebraverint, audiverint &c? Judicet æquus Lector.

Prob. 3. Nulla fuit unquam Religio, quæ non putaverit sibi necessarium esse Sacrificium propriè dictum (eò quòd Religio sit modus DEUM colendi, Sacrificium verò sit optimus, & præcipuus DEUM colendi modus, ut patet ex ejus definitione superius data p. 599.) ergo ex sensu universali hominum in vera Religione debet dari Sacrificium propriè dictum: atqui in Religione Christiana nullum esset Sacrificium propriè dictum, nisi tale sit Missa: ergo. Ant. constat, quia non modo Gentiles & Pagani habebant semper sua Sacrificia, verum etiã cultores veræ Religionis, ita docente eos partim lumine naturali, uti in Legge Natura docuit Abelem, Abraham, Jacob, Noè, partim explicitè mandante DEO, ut in Legge Moysis, in qua DEUS varia præcepit Sacrificia, quæ obtulit Moyses, Aaron, Heli, Samuel &c. Jam verò translata Legè, & mutata, debet mu-

R. P. Pichler Theol. Polemicus

tari & Sacrificium, sicut vicissim, juxta illud Hebr. 7. *Translato Sacerdotio necesse est, ut & Legis translatio fiat.* Quid ergo dicemus de illis Christianis, qui non habent Sacrificium propriè dictum, uti sunt Sectarij nostri? An non rectè infertur, penes ipsos non esse veram Religionem Christianam?

Excipiunt, & dicunt, etiam apud se esse Sacrificia, scilicet preces, pia opera, & actiones alias spirituales. Sed contra est 1. Quia ista non sunt Sacrificia propriè dicta, & simpliciter, sed solum cum addito, *Sacrificia laudis, justitiae, vituli labiorum, hostie spirituales &c.* 2. Quia sic Sacrificia Antiquæ Legis non essent abrogata, nec translatum sacerdotium (contra Paulum Heb. 7. & Patres communiter, qui dicunt, Sacrificia Antiqua, utpote figuræ novi Sacrificij, cessasse) nam preces & pia opera etiam offerebantur in Antiqua Legè. 3. Quia sic vera Religio non differret ab infidelibus & hæreticis; nam in præcipuo actu suo non differret ab ipsis, quia etiam orant &c. 4. Preces & bona opera non requirunt altare, & sacerdotem: Sacrificia autem propriè dicta non possunt offerri nisi in altari & à sacerdote. 5. Sacrificium est oblatio rei sensibilis: sed actiones spirituales, pia vota, preces &c. non sunt aliquid sensibile per se. 6. Ipsa Scriptura opponit opera bona & Sacrificia: ergo non omne bonum opus est Sacrificium propriè dictum: sic Osee 6. dicit: *Misericordiam volo, non Sacrificium.* & 1. Reg. 15. *Melior est obedientia, quam vittima.* 7. Juxta Adversarios omnia opera bona sunt im-

Gggg 2

mun



munda, & quasi pannus menstruata &c. quale igitur Sacrificium?

Prob. 4. In celebratione Missæ reperiuntur omnia, quæ spectant & necessaria sunt ad essentiam Sacrificij propriè dicti: nimirum adest sacerdos, altare, res oblata sensibilis, oblatio Deo facta, rei oblatæ quædam immutatio & destructio; nam *physicè* destruitur substantia panis & vini, *moraliter* destruitur Hostia seu Christus, quatenus ponitur quidem vivus, modo tamen mortuo & in statu ad operandum inepto, quia ponitur penetratis inter se partibus definitivè; item occiditur *mysticè* per verba consecrationis; nam *vi verborum* sanguis separatur à corpore.

Prob. 5. ad hominem ex Confessione Augustana, quæ art. de Missa sic dicit: *Falso accusantur Ecclesia nostra, quod Missam aboleant, retinetur enim Missa apud nos, & summâ reverentiâ celebratur, servantur & usitata ceremonie fere omnes.* Jam verò nomine *Missæ* illo tempore nihil aliud intelligebatur ab Ecclesia, & à Statibus Imperij, quàm Sacrificium Missæ, quod Catholici semper, & hodièdum adhuc celebrant. Nunc autem Lutherani contra proprietatem vocabuli, & contra usum totius Ecclesiæ, ac Romani Imperij volunt nomine *Missæ* intellectam fuisse *Cenam*, seu *Evcharistiam*, quæ Sacramentum est. Quo pacto non solum torquent textum sive Confessionis, verùm etiam gravissimæ fraudis in re summi momenti eandem arguunt, aliud voce eloquentem, & aliud mente intelligentem.

Dicend. 2. Missa est Sacrificium *Propitiatorium* (quod sit *Latreuticum & Evcharisticum*, faciliè concedit, quisquis eam Sacrificium esse agnoscit) hoc est, dimitit peccata tam mortalia quàm venialia, non tamen immediatè, sed mediatè, seu impetrat gratias actuales peccatoribus (pro quibus offertur) quibus excitantur & promoventur ad penitentiam, per quam immediatè dimituntur peccata: hæ tamen gratiæ actuales, quas impetrat, non semper sunt efficaces; quod mirum non est, cum neque per Sacrificium Crucis impetrata sint omnibus peccatoribus gratiæ efficaces ad agendam penitentiam. Itaque rectè offertur Sacrificium Missæ pro vivis ad obtinendam remissionem peccatorum. Prob. 1. ex Scriptura. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad DEUM, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* Hebr. 5. Prob. 2. ex perpetuo sensu Ecclesiæ. Audiat ut nunc testis antiquissimus, Alexander P. & M. anno 109. ep. 1. c. 4. *Issa veritas nos instruit calicem & panem in Sacramento offerre, quando ait: accepit IESUS panem &c. crimina enim atque peccata oblati hæ Domino Sacrificijs delentur &c. Talibus hostijs delectabitur, & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia.*

Dicend. 3. Missa est Sacrificium *Satisfactorium*, hoc est, delet penas pro peccatis quoad culpam jam dimissis, & quidem infallibiliter, nisi adit

obex



obex in eo, pro quo offertur: obex autem est peccatum mortale. Adeoque rectè offertur pro *Defunctis*, hisque prodest, qui adhuc hærent in Purgatorio, *ex opere operato* (quo modo etiam impetrantur vivis gratiæ actuales ad obtinendam penitentiam) Prob. 1. ex Scriptura; nam 2. Machab. 12. Judas Machabæus iussit offerri *Sacrificia pro Defunctis, ut à peccatis*, hoc est, peccatorum pœnis, *solvantur*, ejusque factum approbatur ibidem: ergo multò magis potest offerri Sacrificium Missæ pro defunctis, ut à peccatis solvantur, cum habeat virtutem ex opere operato: atqui Defuncti non aliter solvantur à peccatis, nisi quatenus satisfit pro pœnis, post culpam dimissam reliquis, ut hic supponendum est: ergo Sacrificium Missæ est etiam satisfactorium. Prob. 2. ex perpetua praxi Ecclesiæ; jam enim in Liturgijs S. Jacobi, & S. Clementis invenitur memoria ac deprecatio pro Defunctis, & damnata pridem est hæresis Acrij, qui negabat, pro mortuis esse sacrificandum; teste Epiph. & August. Audiatur unicus S. Chrysost. qui homil. 3. in epist. ad Philipp. ait: *Non frustra ab Apostolis sancitum est, ut in celebratione venerandorum myseriorum memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt. Noverunt, illis multum hinc emolumentum fieri, multum utilitatis.*

36. Dicend. 4. Missa est Sacrificium *Impetratorium*, hoc est, per id obriuntur varia beneficia, corporalia & spiritualia, imò & augmentum gratiæ sanctificantis; sed hoc postremum non nisi mediatè,

scilicet mediantibus virtutum actibus, ad quos eliciendos gratiæ actuales (licet non semper efficaces) immediatè impetrantur: nam gratiæ sanctificantis augmentum, non Sacrificio, sed Sacramentis promissum est. Quòd impetremur semper (ex opere operato) aliqua beneficia, sed pro loco & tempore competenti, prout Deus novit esse utile, probatur præcipuè ex sensu, & praxi perpetua Ecclesiæ, Sacrificium Missæ offerentis pro quibuscunque hominum necessitatibus. Sit unicus testis ex antiquis S. August. qui l. 22. de Civit. Dei c. 8. ait: *Rogavit nostros, me absente, presbyteros, ut aliquis eorum illo pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi Sacrificium Corporis Christi, orans, ut cessaret illa vexatio: Deo protinus miserante cessavit*, scilicet infestatio malignorum spirituum, Dein confirmatur ex eo: si Sacrificium impetrat remissionem peccatorum saltem mediatè, & pœnarum immediatè, cur non impetret alias gratias & beneficia? Si non illa, quæ petuntur, certè substituet Deus alia, prout ipsi melius videbitur, sicut fit in orationibus Justorum. Nihil jam dicam de fructibus, qui redundant ex Sacrificio Missæ ex opere operantis.

Dicendum 5. Retinenda est *Missa privata*. Nomine Missæ private potest intelligi, quæ celebratur vel in loco privato, in ædibus, oratorijs &c. vel in templo quidem, sed sine cantu, nec in altari summo, vel quæ fit sine conventu populi, vel extra diem Dominicam & festa, vel denique talis Missa,



sa, in qua solus sacerdos communicat sine communione populi. Et in hac ultima acceptione potissimum sumit Lutherus, quando impugnat Missam privatam: atque in hoc sensu acceptam retinendam esse, Prob. 1. quia in ea reperitur tota essentia & integritas Sacrificij à Christo instituti. 2. Quia sacerdos, etiam privatim celebrans, & solus Sacramentaliter communicans, agit publicum Ecclesie ministrum, nec pro se tantum, sed etiam pro tota Ecclesia offert: major autem publicitas gratis requiritur. 3. Quia Sacrificium non offertur populo, sed DEO pro populo; quod fieri potest, etiam si populus non communicet. 4. Quia nec in Antiqua Lege de rebus oblati manducabat semper populus. 5. Neque in Ecclesia Christi id semper observatum fuit; quippe jam olim Missa offerebatur quotidie, non tamen populus (post tempora Apostolorum) communicabat quotidie. 6. Quia præceptum audiendi Missam diebus festis & Dominicis, omnibus fidelibus impositum, est antiquissimum; at nullum fuit unquam præceptum omnibus diebus Dominicis & festis communicandi, sed olim tantum ter in anno, nunc à longo tempore tantum semel. Neque dicas, Christum, dum sacrificavit (si tamen sacrificavit) in pane & vino, distribuisse hostiam suis Discipulis manducandam &c. Nam exemplum Christi facit quidem rem licitam, sed non præceptam. Christum in ultima Cæna sacrificasse, patet ex dictis.

38. Dicend. 6. Necessè non est, imò nec deceet, Missam celebrari linguâ vul-

gari, scilicet Germanicâ in Germania, Gallicâ in Gallia &c. Prob. 1. Quia Sacrificium Missæ non offertur ad instruendum populum, sed ad colendum Deum, & aliquid ab ipso impetrandum: Deus autem utique intelligit linguam Latinam. 2. Quia tolleretur commercium Ecclesiarum particularium; Germanus enim sæpe non posset dicere Sacrum, existens in Gallia, & vicillim; Italus in Polonia, & vicillim &c. 3. Quia Ecclesia semper consuevit in Officijs Divinis adhibere unam ex tribus linguis sacris, nempe vel Latinam, vel Græcam, vel Hebraicam, nisi fortè per indulgentiam, ad cavendum majus malum, quibusdam Provincijs ad aliquod tempus linguæ vernaculæ usus concessus sit. 4. Quia est ad majestatem & reverentiam majorem, si adhibeatur lingua sacra, & vulgo non usitata; quam ob causam etiam multa dicuntur secretò in Canone. Ceterum ceremoniæ & vestes sacre, in Missa adhiberi solite, uti & ea, quæ ex verbis, si intelligerentur, populo prodesse creduntur, illi explicantur à Catechistis & Concionatoribus, quantum opus est.

Opponunt. Ad Hebr. 9. v. 28. dicitur: *Christus semel oblatus est.* & c. 10. v. 14. *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sacrificatos;* ergo opus non est tot Missarum oblationibus, cum suffecerit abunde una oblatio Christi. Confirmatur. Sacrificium Christi, in Cruce peractum, fuit infiniti valoris: ergo à Christianis repeti non debet, quin non potest sine ejus injuria: ergo Missa non est Sacrificium,



quo remittuntur peccata, & alia beneficia nobis conferuntur. R. Omnino Christus semel oblatus est modo cruento, & in Cruce &c. hoc tamen non obstante potest renovari hoc Sacrificium modo incruento, partim in memoriam Passionis, partim ut nobis applicetur fructus Sacrificij Crucis: legant Adversarij verba antecedentia cit. c. 9, ubi v. 11. dicitur: *Omnis sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sepe offerens hostias.* Equidem propter pactum initum inter Deum & hominem non habet Redemptionis fructum illud, quod in Missa offertur, Sacrificium, nisi quatenus est representativum & applicativum Sacrificij crucis, quo solo voluit Deus & Christus ex speciali pacto satisfieri pro mundi peccatis &c. uti nec illud, quod Christus in ultima Cæna obtulit in pane & vino, quod erat significativum Sacrificij, in Cruce peragendi. Quamvis enim & Sacrificium Cænar, & Sacrificium Missæ (idem intellige de o-

mnibus Christi actionibus, utpote Theandricis) fuerit & sit infiniti valoris in actu primo & quoad sufficientiam, non minus quam Sacrificium Crucis; redemptio tamen mundi & satisfactio pro peccatis &c. ex decreto DEI fuit alligata soli Sacrificio Crucis; applicatio tamen fructus fuit data ejus memoriali, scilicet Sacrificio Missæ, uti & data est Sacramentis, fidei, spei, charitati, penitentia &c. Unde patet responsio ad alterum textum. Ad Confirmationem D. A. Sacrificium Christi in Cruce peracti fuit infiniti valoris in actu primo & quoad sufficientiam C. in actu secundo & quoad actualem applicationem. N. A. & G. Christus noluit nobis prodesse Sacrificium, etiam Crucis, nisi nobis applicetur per illa media, quæ ipse instituit & præscripsit, uti sunt Sacramenta, Sacrificium Missæ, opera virtutum: voluit enim Sacrificium incruentum perpetuo renovari, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem,*

## ARTICULUS IV.

### De Sacramento Penitentia.

#### SUMMARIUM.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1. <i>Quamvis Penitentia etiam sit virtus, de ea tamen, ut Sacramentum est, hic agitur.</i></p> <p>2. <i>De Absolutione &amp; Confessione peccatorum quid sentiant tum Calvinistæ, tum Lutherani.</i></p> <p>3. <i>Juxta Catholicos Sacerdos verè</i></p> | <p><i>remittit peccata autoritate Judiciali, dum absolvit.</i></p> <p>4. <i>Sine qua Absolutione, vel in re vel in voto suscepta, impossibile est salvari eum, qui post Baptismum lapsus est in peccatum mortale.</i></p> <p>5. <i>Quia Lutherani, &amp; nominatim</i><br/>Gorari.</p> |
|--|--|